

num erat , solam secum virginem eduxerat. Vbi cum puella stante , matrona sedēs tacita , & aliquid operiens , quod ad omen traheret diutius mansisset , defessa rupit tandem virgo silentium , Orans materteram , ut sibi paululum quiescendi copiam ficeret. Et illa consurgens : Imò verò , inquit , filia , libens tibi concedo meas sedes. Id responsum defuncta mox Cæcilia virgine , viro eius nupta , cōfirmatum cōmemorant.

ALIVD.

His illa conueniunt : Petilius cum Liguribus Lætum montem , qui hostium præsidio tenebatur adortus , pertinacius obnittitur , suosque in prælium accedit : Hodie , ait , ego utique Lætum capiam. Id confessim Læto eius confecto , æquiuocum omen apparuit.

ALIVD.

Crassus dum Rhodiis Deorum simulachra cupidè subtraheret , & illi humiliter precarentur , ne omnia subriperet : Solem se relinquere , ait. Iocatus in eorum Religiones , apud quos Sol perstudiōsè colebatur : Nec multò post prælio victus , & vitam & Solem linquere compulsus est. Infinita sunt eiusmodi , quæ ap-